TL XXI.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE

PALPITATIONE CORDIS.

QUAM
FAVENTE DEO OPT. MAX.
Ex auctoritate Magnifici Rectoris,

D. PAULI HERMANNI,
Medic. Doct. ejuſdemque facultatis, ut &
Botanicæ Profeſſoris.

NECNON
Ampliſſimi Senatûs Academici Conſenſu, & Almæ Facultatis MEDICÆ *Decreto,*
PRO GRADU DOCTORATUS,
Summíſque in MEDICINA Honoribus ac Privilegiis
ritè & legitimè conſequendis,
Publico examini ſubjicit

JOHANNES COLLART, Boemelâ Gelrus.

Ad diem II *Decemb. hora locoque ſolitis.*



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,
Academiæ Typograph. MDC XC.

DEO
TER OPT. MAX.

D. ANTONIO COLLART, Urbis Boemelæ Pharmacopæo expertiſſimo, ſagaciſſimo genitori meo filiali amore & honore donec vivam proſequendo colendo.

NEC NON

D. D. GUILLIELMO VERBOLT, Urbis Boemelæ Conſuli, Graviſſimo, Prudentiſſimo, ut & Delegato Ordinum Ducatus Gelriæ & Comitatus Zutphaniæ ex Neomagenſi parte plurimum venerando.

Cæteriſque Conſanguineis & Amicis.

WELLCOME INSTITUTE LIBRARY

Hocce Exercitium Inaugurale devoto pectore inſcribit

JOHANNES COLLART,

Author & Defend.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE

PALPITATIONE CORDIS.

THESIS I.

Palpitatio cordis, (Græcis παλμὸς καρδίας dicta) eſt inordinatus & convulſivus, nunc vehementior nunc mitior cordis motus, vel eſt fortior ſeu longior moram nectens ſyſtole.

Ad hanc palpitationem quodammodo videtur referri Tremor cordis, ubi nempe crebriores & tremulæ adſunt pulſationes.

Pars affecta cor eſt, quod cum pulſationis naturalis primarium ſit organum, præternaturalis etiam eſſe haud deſinit.

II. Verum antequam ulterius progrediar, non inconſultum fore duxi, prius pulſationem ſeu motum cordis naturalem, quomodo quibuſque de cauſis fiat, explanare, ut hac debitè percepta, ad præternaturalem facilior ſternatur via.

III. Sanguis itaque à peripheria corporis rediens, per venam cavam tam aſcendentem quam deſcendentem auriculæ cordis dextræ infuſus eam plus ſolito diſtendit, à qua diſtenſione in fibras ejus motrices blandè vellicatas, ſequitur ſpirituum animalium per nervos paris vagi influxus, quibus ſe naturaliter conſtringunt, ſicque ſanguinem, in dextrum cordis thalamum effundunt, oriturque ejuſdem ventriculi dyaſtole, quo rurſus ventriculum ultra elaterem diſtendente & blande vellicante ſequitur ſp. animalium in fibras ejus excluſioni dicatas influxus' ſicque ſanguinem per arteriam pulmonalem expellit in pulmones, hincque in venam ejuſdem nominis, ubi accedente aëris gravitate multum facilitatur progreſſus in ſiniſtram cordi-

auriculam, inde in ventriculum ſiniſtrum, ex quo ſanguis (cauſis ut ante) expulſus, per arteriam magnam ejuſque propagines ad ſingulas defertur corporis partes. Hæc cum placide fiant, ſentiuntur quidem cordis ſyſtole & dyaſtole, ſed adeo regulares ut inde nullam homo ſentiat moleſtiam.

IV. Verum ſi ab acri & craſſo ſale cordis fibræ inimicè vellicentur ac irritentur, vel à ſanguine craſſiori aut volatiliori nimis diſtendantur, vel ab aliis externis præternaturalibus cauſis fortius comprimantur & in motu ſuo turbentur, orietur vehemens ſp. animalium in fibras cordis influxus, ad ſales ſibi infeſtos, vel ſanguinem vitioſum nimis gravantem & diſtendentem, ne ſuffocetur circulatio cum vi excludenda, perſentietque æger tremorem & palpitationem cordis moleſtam, majorem aut minorem, prout prædicta magis aut minus peccant.

V. Ex hiſce itaque notamus motum cordis eſſe duplicem, dyaſtolem ſcilicet ſeu dilatationem, eſtque tantum motus paſſivus productus partim à conſtrictione auricularum, partim à ſanguine tunc ventriculos intrante, vel ſyſtolem ſeu contractionem, quæ ut aliorum muſculorum ſic etiam cordis propria actio dici meretur.

VI. Hi vero motus à variis proveniunt cauſis, à ſanguine ſcilicet per venam cavam tam ſuperiorem quam inferiorem allabente, à ſpiritibus per nervos octavæ conjugationis ad cor ruentibus, ab aëre per aſperam arteriam ingrediente pulmones ibique premente venam pulmonalem, ſicque ſanguinem in ea contentum in cor propellente: hiſce motum cordis promoveri & conflari jucundo ſpectaculo videre eſt, ligatis enim utrâque venâ cavâ, nervo paris vagi, & aſpera arteria ilico ſufflaminabitur cordis motus, multum ad facilem cordis motum contribuente humore pericardii debitè conſtituto, nec non ipſius cordis optima ſtructura, quod ſi unum ex dictis motus cordis naturalis inſtrumentis vitietur vel deficiat, cordis quoque motus depravabitur, ut in ſeq. videbitur.

VII. Me vero hic nullam fermentationis aut efferveſcentiæ, hoc noſtro tempore viris alioquin graviſſimis pro immediatâ motus cordis tam naturalis quam præternaturalis cauſâ adeo decantatæ, mentionem facere, haud mirabitur benevolus

volus lector ſequentibus ratiociniis mecum inſtructus. 1°. Arteriæ coronariæ cordis per quas hoc fermentum inſtillari falſo dicunt, naturaliter non intrant cordis ventriculos. 2°. Nunquam tale fermentum vere oſtenſum fuit: 3°. Nulla datur fermentatio vel effervefcentia niſi in liquoribus ſtagnantibus & diſproportionatis, quæ ſtagnatio ſi tantum levior ſit, oritur palpitatio, ſi vero fortior ſit diutiuſque perſeveret, miſeros utplurimum vitam cum morte commutare facit, ut ſyncope cardiaca funeſto ſæpius exemplo oſtendit, his igitur pro majori luce præmiſſis, ad alia non minus neceſſaria pergendum, in quibus omnibus quam poſſibile breves erimus, ut non ſolum parcamus tempori, verum etiam ne papellæ in nimiam excreſcant molem.

VIII. *Cauſa igitur affectus noſtri immediata* eſt convulſiva cordis ſyſtole, ſeu fortior & diuturnior conſtrictio, ingreſſo ſanguini liberum denegans tranſitum, ſed eundem diutius quam par eſt in corde ſtagnare faciens.

IX. *Mediata vero proximior* ſunt circulantes humores craſſitie vel acrimonia acida vel etiam flatulentia peccantes, ſanguis quandoque nimis craſſatus levi occaſione properatur, adeo ut major quantitas cor ingrediatur quam poſſit exire, hinc cor nimis diſtentum majori vi quam ſolet utitur, ex nimia enim ſanguinis copia fibræ cordis irritantur, adeo ut plures quam in ſano ſtatu ſpiritus per nervos deſcendere opus habeant, craſſitiem vero humorum potiſſimam eſſe cauſam ſufficienter patet ex melancholicis cachecticis & fœminis obſtructione menſium laborantibus palpitatione cordis ſæpiſſime affectis, effectus vero quem ſæpe ita ſtagnantes palpitationeſque excitantes humores edunt, nimia dilatatio & diſtenſio cordis eſt, ut patet ex obſervationibus ballonii Cæſalpini & aliorum, palpitationi huic affectos, poſt obitum cor amplum & ad majorem ferme dilatationem ineptum exhibuiſſe.

X. Neque multum abludit modus afficiendi in iſchuria vera ab hoc noſtro affectu, in hac enim ob urinæ quantitatem latera veſicæ nimis diſtendentem, fibræ carneæ in media ejus tunica occurrentes plus ſolito extenſæ orificium veſicæ contrahunt viamque urinæ præcludunt, ſimili hic fere modo fibræ cordis ex una parte contractæ ſanguinis ſtagnationem diutius

ſaltem quam in ſtatu naturali efficiunt, ſtagnatio vero diſtenſionem, diſtenſio autem nimia cor non ita prompte ſe contrahere patitur, ſed moram injiciendo per vices, palpitationem excitat, ſi vero diutius in tali ſtatu ſubſiſtat lypothymias inducit, totaliter vero ſic permanens ſyncopem cardiacam citamque mortem contrahit.

XI. Flatus vero quod attinet cum ſanguine circulantes (ob poros ubique occluſos & quaſi convulſione coarctatos) aliquando eſſe in cauſa, plurima authorum exempla demonſtrant, ſic *Cl. Sylvius* mentionem facit cujuſdam cadaveris in noſocomio diſſecti, in cujus anatome reperit flatus vix diviſa ſumma abdominis cute in copia erumpentes, quin & arteriam magnam, maximè vero ſiniſtrum cordis ventriculum ita diſtendentes, ut ſiniſter ventriculus propter diſtenſionem à flatibus dextro longe capacior apparuerit, quod alias in naturali ſtatu contrarium obtinet: vide etiam obſervationes Anatomicas *Laurentii lib. 9. quæſt.* 18. idem etiam *Cl. Hollerius* exemplo videtur confirmare *de morb. intern. lib.* 1. *cap.* 29. ubi refert Præſidem Rothomagenſem ſæpiſſime palpitatione cordis affectum, pulſu vel nullo vel parvo & ſine ordine exiſtente, cujus paroxyſmi emiſſis maximo cum ſtrepitu flatibus & ructibus ilico ſolvebantur.

XII. Aliquando ſanguini immixta eſt quædam acrimonia, qua lentè aut coactè cor tranſiens ejus fibras compungit, & ad contractionem ſpaſmodicam irritat, quâ ſibi ipſi viam magis adhuc anguſtat: alii ex recentioribus ſicuti pulſum naturalem fermentationi & ſanguinis rarefactioni, ita & p. n. palpitationem adſcribunt: verum cum à nobis ſuperius variis argumentis oſtenſum ſit pulſum naturalem nec ab effervescentia nec à fermentatione produci, ergo nec etiam p. n. ſeu palpitatio inde reſultat.

XIII. *Sequuntur cauſæ remotiores* inter quas ex naturalibus rebus multum palpitationi huic excitandæ contribuit conſtitutio circulantium humorum craſſis vel vitioſè inter ſe contextis particulis conſtans, vel nexu ſuo omnes haud adeo exacte ſibi junctas habens.

XIV. *Ex nonnaturalibus* rebus æther peregrinus inſpiratione in pulmonibus ſanguini vel & aliis humoribus communicatus

ſæpius

ſæpius hujus affectus cauſa eſt, quod metallarii ex aura arſenicali non raro cum damno experiuntur, ſic & quidam ex odore infecto ilico palpitationem hanc ſentiunt: ſic etiam ab attractis in præparatione antimonii diaphoretici atomis &c. palpitaſſe ſibi cor ac ſi coſtas perrumpere vellet teſtatur *Schulz.tr. de natur.tinct.bezoard.cap.*5.nec ſolum aërem particulis acidis refertum hic eſſe in cauſa, ſed & nimis frigidum vide *Blancard. anat. pract. rat. fol.* 121. hiſtericam ab aëre frigido poſt incaleſcentiam incuriè admiſſo incidiſſe in palpitationem cordis. Sic nec cibus & potus nimis craſſum aut flatibus immixtum chylum ſuppeditantes ſunt extra culpam, ab oleribus enim & leguminibus comeſtis ſe palpitationem cordis perſentiſcere *Malpigius epiſt.* 1. *de pulmon. ad Borell.* teſtatur: ſic & eſus pomorum crudorum quantam palpitationi cordis cauſam addant, proprio ſui ipſius exemplo egregie oſtendit *Simon. Paul. quadripart. claſſ.* 2.*p.*8.

Nec ſubtilia oleoſa quandoque viſcidis humoribus craſſitieque peccanti ſanguini immixta ſunt extra culpam, ſic in *m.n.c. ann.* 3.*obſ.* 134. *p.* 244. hypochondriaca quædam ex frequentiori uſu cinamomi in palpitationem cordis incidit contumacem.

Quid animi pathemata hic valeant maximè terror notum eſt, ſubtiles namque maſſæ ſanguineæ partes nimis debilitare ſicque earundem motum ſufflaminare ſolet, id quod gravitas pectoris circa cor, aſthma, pulſus minor, corporis frigus, faciei pallor, vivacitatiſque interitus inde exortus ſatis docent: palpitationem ex terrore ortam vide *Blancard. anat. pract. rat. fol.* 159. Nec ira hic excluditur, prout illuſtris quædam princeps ab ira in tranſverſum abrepta, notante *Tim. l.* 2. *caſ.* 16. *p.* 105. experta eſt, admodum enim motibus his animi & corporis, ſanguinis interrumpitur circulus, dum partim circulationem ſufflaminant, vel impetuoſius exagitant, & in pulmonibus diutius moram nectere faciunt, in eos ſanguinem quidem copioſius adigendo ſed per cor haud ita prompte niſi data mora ſenſimque promovendo.

XV. *Ex præternaturalibus* innumera ſunt circulationis impedimenta, ſic nullos magis huic affectui obnoxios comperimur quam hypochondriacos & ſcorbuticos ſanguine nimis craſſo &

coa-

coagulato, vel & textura nexuque ſuo plus ſoluto & circulationi inepto gaudentes, hypochondriaci enim acido vitioſo & flatibus abundantes obnoxii ſunt ſpaſmis nervorum maximè rami intercoſtalis & paris vagi, unde ſubinde contingit palpitatio cordis, non propter flatus ex hypochondriis ad cor aſcendentes ſed propter ſurculum nervi paris vagi affectum & cor agitantis quod patet maxime ex eo quod in talibus hypochondriacis ingruente cordis palpitatione percipiantur murmura ac rugitus in abdomine ex ſpaſmodica meſenterii & imprimis inteſtinorum contractione & agitatione : Cachectici inſuper, & mulieres obſtructione menſium laborantes huic palpitationi ſæpius affliguntur propter cauſas ſupra de ſanguine craſſiori allatas, præter hæc circulantium humorum vitia, ſunt & alia ipſorum ſcilicet organorum præternaturalis conſtitutio, vel p. n. contenta, ſanguini per cor liberum tranſitum impedientia.

Inter hæc non infrequens eſt humor pericardii nimis abundans; indeque inductam eſſe palpitationem cordis moleſtam & diuturnam *vid. Zacut. Luſitan. cent. 3. cur.* 43. item *Piſon. tract. de ſero. p.* 168., ſic etiam à puris acrioris & ſanguinis ſanioſi ultra ℔iv in pericardio contentis palpitationem inductam *vid. Blancard. anat. pract. rat. fol.* 81.

Sic arteriæ magnæ truncum prope cor oſſeum palpitationem graviorem cauſaſſe Williſius refert *vid. etiam anat. pract. rat. Blancard. fol.* 16. nec ſolum arteriæ magnæ ſed etiam arteriæ & venæ pulmonalis truncum, cartilaginoſum adeo ut vena ubi cor ingrediebatur eſſet tam anguſta ut vix aciculam craſſam admitteret, aliquando eſſe in cauſa *vid. Blancard. lib. cit. fol* 13.

Pertinent huc quoque polypi cordis *vi. Hæjer. Hercul. med. p.* 89. tumores item & abſceſſus cordis de quibus conſule: *Severin. de natur. abſceſſus. p.* 114. item *Miſcell. med. ann.* IV. *obſerv.* 40 *p.* 37. & alios. Vermes etiam quandoque eſſe in cauſa teſtatur *Petrus a Caſtro Med.* veronenſis, cui contigit hoc dirum morbi genus obſervaſſe in cantabria ſub epidemica conſtitutione, in qua poſt ingentem ægrotantium ſtragem, qui omnes convulſi cum frequentiſſima & fere continuata cordis palpitatione moriebantur, diſſectis cadaveribus reperit in ſingulis vermem magnitudine fere minimum digitum æquantem capſulæ cordis affixum.

Cal-

Calculos & lapillos in corde repertos palpitationi anſam addidiſſe *vid. Scholzium in conſil.* 103. ubi refert lapillum quendam nigricantem repertum in eo qui tali morbo ſæpius correptus fuit, ſic etiam *Horſtius* teſtatur palpitationem lethalem ex tribus lapillis in corde repertis, hinc igitur ſtatuendum cor vel fluidorum, aut ipſius organi ſcilicet vitio vel externorum ſolidorum cauſa convulſum, palpitationum cauſam, eſſe immediatam, ſanguinem vero ſtagnantem proximiorem.

Hiſce pro modulo ingenii præmiſſis reſtant ſigna tam Diagnoſtica quam cauſarum, ut & etiam prognoſtica.

XVI. *Diagnoſtica* quod attinet, præter ipſam ægri relationem, etiam ipſos aliquando incurrit oculos: & veſtes ad motum cordis ſubſilire viſæ ſunt. Pulſus etiam in carpis hic ſæpius fallit notante *Timeo* in *Epiſt.* 23 *p.* 592. ubi valida & inſignis palpitatio cordis fuit obſervata, in qua nullus in carpis pulſus potuit percipi, in hoc ergo caſu (ſic etiam in alio) ſæpius manu ſub ſiniſtrâ mammilla admota exacte percipitur, adeſt inſuper reſpiratio rara & exigua.

Aliquando tamen hæc palpitatio eſt adeo vehemens ut auditu non ſolum percipi potuerit, verum etiam coſtas diffregerit notante *Horſtio obſerv. lib.* 3. *obſerv.* 17. & aliis ut *Foreſto* & *Fernelio*. Imo etiam ſeptum cordis amplo hiatu diſrupſiſſe teſtatur *Harvæus exercit. anat.* 2.

XVII. Sequuntur *ſigna cauſarum* non minoris certe ponderis, ſic ſerum in pericardio ubi abundat difficile quidem cognoſcitur, ſed ſigna fere ſunt hæc, cor velut in aquâ natare ægro non ſitienti videtur, & pulſus formicantes, reſpiratioque difficilis & quaſi ſuffocans eſſe ſolent, affectus inſuper eſt admodum contumax, cum febricula hecticæ ſpeciem obſervante & tabe corporis.

Si Scorbutus ſit in cauſa, illis ſæpius ad leviſſimum corporis motum paroxyſmus ingruit, cum gravioribus lypothymiis: exemplum palpitationis ſcorbuticæ rariſſimum in puerpera, *vid. Horſt. in obſ. lib.* 17. *obſ.* 15. *p.* 380. *&* 390. Si affectio hypochondriaca, tunc in paroxiſmo vel ante eum ſentiuntur murmura & rugitus in abdomine, ac cor videtur in ipſo inſultu violenter conſtringi & ambabus manibus quaſi comprimi, aliquando adſunt vertigines.

Flatus indicat ſubita mali invaſio cum tremulo genarum & palpebrarum motu, oculorum caligine, ſonitu tinnituque aurium.

Venenatus ubi fuerit vapor & cauſa maligna, facile in lypothymiam & ſyncopem tranſit : tumores calculi vermes aliæque peregrinæ ſubſtantiæ cor gravantes, ex motu valde inæquali, anxietate continua, pungente & rodente colliguntur.

XVIII. Ordine ſequitur *Prognoſis.* palpitatio igitur etſi non ſtatim nec ſemper ſit lethalis, tamen ob ſanguinis cæterorumque liquorum inde inductam pro tempore ſtagnationem, (à quorum circulatione & debita inter ſe mixtura unicè dependet noſtra ſanitas & vita) merito terrifica & metu plena eſt : nec grandem attingunt ætatem qui juvenes, vel magis conſiſtentis ætatis frequentioribus cordis palpitationibus affliguntur *Hippocr. aph.* 41. *ſect.* 2. levior tamen eſt in hypochondriacis, quam ſcorbuticis ob lypothymias conjunctas & quandoque inſequentem catharrum ſuffocativum vel ſyncopem cardiacam, mortem ſubito inducentem: palpitatio cordis ab aqua pericardii, vermibus, calculis & excreſcentiis oſſeis &c. plerumque ſenſim ad mortem ducit, à malignitate vel ſuſpicio veneni periculoſa eſt & quandoque vitæ imminet periculum niſi citiſſime ſuccurratur. Quo levior tamen eſt craſſities circulantium humorum, indeque inducta ſymptomata, ut menſium ſuppreſſio, cachexia, affectio hypochondriaca &c. eo major ſalutis ſpes affulget.

XIX. Tandem ut affectui huic obnoxiis, ſolamen aliquod afferre valeamus *Curationi* inſiſtendum, in qua ante omnia paroxyſmi ratio habeatur, in quo fortius urgente & ſi plethora adeſſe videatur V. S. non eſt rejicienda ne patiens ſyncope cardiaca pereat, ſed parce ea înſtituatur prima vice ut ſi levamen attulerit, reiterari poſſit, conſentiente mecum *Horſtio lib.* 3. *obſ.* 16. de quodam qui quoties paroxyſmo hoc affectus fuit toties V. S. liberatus eſt. *vid. etiam Fontan. conſil. & reſponſ. p.* 66.

Dein exhibeantur ea quæ quovis modo cor à ſpaſmis liberant & humorum circulationem promoveant, inter ea vero excellunt antepileptica vulgo dicta ſpecifice tamen opiata quæ hic ſunt ſacra anchora etiam à flatibus exorto malo, abſorbentibus carminativis & aromaticis addita : ſic

℞. C.

℞. C. C. philoſoph. ppti ℈j
Camphor. gr. ij
Laud. op. gr. j
Aq. menth. ℥ij M. F. Mixt. pro 1. doſi.

XX. Verum cum ſæpius obſervatum ſit aromatica & volatilia ſpiculis ſuis malum intendere, hinc alia exurgit curandi ratio in palpitatione à circulantibus humoribus plus nexu ſuo ſolutis & volatilioribus quam nimis craſſis.

Quando itaque orgaſmus flatulentus percipitur, & ructus acres, nidoroſi, oleoſi, cardialgia, jactationes, ardores, murmura aut flatus adſunt, tunc carminantia volatilia & aromatica, remiſſius exhibeantur, ne ſtagnanti ſanguini turgeſcentiam addant, & particulas ſubtiliores nexu ſuo ſolutas, nec adeo exacte cum reliquis cohærentes plus exagitent & fibras magis adhuc tendant, & malum ſua mobilitate augeant, quamvis enim cinamomum omniaque inde parata in palpitatione cordis excellere *Lindanus* expertus ſit, quia vero quædam hypochondriaca (ut ſupra dictum eſt) ex nimio ejus uſu in palpitationem incidit, hinc ea quandoque caute ſunt exhibenda, ſic *Hoffman. clav. Schrœd. lib.* 5. *pag.* 668. refert à frequenti ſpiritus vol. urinoſi uſu phtyſin & hæmoptyſin eſſe ſubortam, idem refert *Matth. Iacobi. in A. Haffn. vol.* 1. *obſ.* 113. Salem vol. oleoſum ſylvii hæmorrhagiam narium frequentem & copioſam cum cordis palpitatione excitaſſe, ut abſorbentibus & opiatis ſiſti opus fuerit, hoc itaque in caſu cardiaca fixa, præcipitantia, abſorbentia, opiata, vel ſola vel remiſſius ſaltem calidioribus & volatilioribus combinata excellunt, maxime in hypochondriacis flatibus & phlogoſibus obnoxiis, ſimilia ſunt ocul. canc. unicornu foſſile. C. C. philoſophice præparatum, oſſ. ſæpiæ, mandib. lucii piſcis, opium, corall. &c. ex quibus formulam non inelegantem ſequentem paro

℞. Ocul. canc. ℈ij
Cryſtall. ppt.
C. C. uſti a. ʒß
Santali. citrin. ℈ß
Laud. op. gr. gr. iij M. F. ps. doſ. ʒß.

martialia hic etiam ſunt præſtantiſſima maxime ſi ab hypochondriaco malo orta ſit palpitatio, ſic magno cum fructu aliquo-

 ties

ties in ſeptimana datur ejus limatura ad gr. vij. cum extr. abſynth. in pilulas formata mane & veſperi, ſuperbibendo hauſtum vini abſynthitis. Vel ejus locum optime poſſet ſupplere tinct. ♂ aperiens cum ſal. tart. elaborata doſ. gt. xv. vel xx. mane & veſperi in vehiculo conveniente, convenit etiam in ſingulo paſtu potui immiſcere. ſp. nitri dulc. gt. xv. pro doſi.

Præter hæc dicta, quædam etiam alia in ſequenti cura exponenda hic uſui venient.

XXI. In alia vero palpitationis ſpecie ubi circulantium humorum craſſities magis in cauſa eſt (ut in cachecticis & fœminis obſtructione menſium laborantibus &c.) incidentia, volatilia oleoſa convenient, qualia ſelecta hic ſunt, rad. ænul. campan. angelic. zedoar. cort. aurant. citri, ligna ſaſſaphras, ſantall. citrin. bacc. junip. cardamom. min., herb. meliſſ. roriſmar., fl. croci or. camphor. ſuccinum, caſtoreum, liquor C. C. ſuccinatus, &c. ex quibus formulas pro arbitrio paramus ſic

℞. Tinct. caſtor. ſuccin a. ℈j
Sp. ſal. armon. gt. xv
Confect. alkerm. ʒij
Aq. cinam. ℥j
Meliſſ. fl. thiliæ a. ℥iß. M F. mixt. detur cochl.

infuſum ſequens ex ſpecificis conflatum hic magni facio ſic

℞. Rad. ænul. camp. zedoar.
Galang. fœnic. a. ʒij
Cort. aurant. citri a. ʒj
Herb. meliſſ. roriſmar.
Flor. Centaur. min. a. p. ij
Cinamom. acuti ʒiß
Fl. croci ʒß
Baccar. lauri junip. a. ℥ß. M.

inciſa & contuſa includantur nodulo & affund. vini generoſi ℔iv, & de hoc omni mane & veſperi ſumantur ʒij.

A ſuperiori non multum abludit ſequens quo parens mihi dilectus ſæpius in palpitatione cordis maxime filiarum obſtructis menſibus laborantium feliciter uſus eſt,

℞. Rad. galang. zedoar.
Angelic. helen. a. ʒiij
Cort. aurant.

Car-

Cardamom. min. a. ʒij, M. &
incidantur groſſè, & affund. ſp. vini ℔iij. digerantur per aliquot tempus, doſis eſt mane & veſperi cochl. j.

XXII. Hiſce intermedietur quandoque veſperi ſudoriferum & indicens: v. g.

℞. Sal. vol. C. C. gr. v
Card. b. ℈ß
Croci optim. gr. viij cui add. ſi opus laud. op. gr. j
Ocul. canc. ℈j
Caſtor. gr. iij
Ol. cinamom. gt. j. M. F. pulv. vel cum ſyr.
papav. errat. q. ſ. bolus, vel cum aq. conveniente mixtura, pro doſi: elyxir etiam ſequens potui ordinario aliquoties in die remixtum non erit mali ominis, ſed ſæpius mihi expertum.

℞. Elyx. PP. ſ. acido
Tinct. abſynth. a. ℥ij
Sp. ſal armon. ʒß. M. F. elyxir. doſ. gt. 40

XXIII. Verum ſi ex primis viis ſaburra & ruditatibus repletis, circulantibus humoribus pabulum transferri videatur, ut ex inappetentia, & gravitate ventriculi poſt alimenta aſſumpta aliiſque ſignis patet, eaque ex nauſea, conatu vomendi &c. viam per ſuperiora affectare videantur, tunc præmiſſo aliquoties quodam abſorbente, quale ſuperius deſcripſimus, cum vomitorio non diu cunctandum, ſi vero patiens hoc abhorrat vel quid adſit illud prohibens, ut ſunt hæmoptiſis, graviditas, hernia, phtyſis, convulſionum metus &c. laxans aliquod vices ejus ſupplebit quale ſequens eſſe poteſt, maxime in prima palpitationis ſpecie ſcilicet à circulantibus humoribus juſto mobilibus: v. g.

℞. Paſſul. min. ℥ij
Cremor. tart. ʒiß
coq. cum aq. fontan. ℔iß, decocto ab igne remoto add. fol. ſenn. el. ʒvj, fl. viola., roſar. a. pij: infuſionis per 12 horas factæ præbeatur bonus hauſtus: in alia vero palpitationis ſpecie magis ſint incidentia ſic

℞. Gumm. armon. gr. xv
Merc. dulc. ℈ß
Trochiſc. alhand. gr. iij

Caſtor. gr. iv. M. & cum elix. P.P. qſ. f. pilulæ. pro doſi.

XXIV. Externa, quod attinet, cordis regioni applicanda, quamvis tot membranarum quodammodo obſtantium poros penetrare opus habeant, non ſunt de nihilo habenda, & inſignem quandoque præſtant opem, maxime ſi ſint penetrantia, inter quæ ſequens ſæpius laudabilem præſtitit effectum ſic

℞. Panis albi recent. q. v. torreatur ſuper veru dein immerge vino calenti, poſtmodum inſperge ſequentia pulveriſata, cinamom. ℥ij. Raſ. cort. citri. pomor. chinenſ. a. ℥j. Macer. caryophill. Rad. irid. fl. a. ℥iß. Camphor. ℈j. M. & de eo aliquoties in die fruſtum calidè cordis regioni applicetur: Sic etiam theriac. venet. ℥ß. cum ſpir. vin. camphor. ℥iv. croci ʒj. in linimentum redacta, inſigniter ſuccurre ſolet; quibus vero emplaſtrum placet

℞. Gumm. tacamahac. Styrac. calamith. maſtich. a. ʒß. In therebinth. ʒiij. ſolutis add. Ol. deſtill. abſynth. Caryophill. nuciſt. a. ℈ß. Balſ. peruv. ʒj. M. F. ſ.a. empl. in calida vero ſpecie ſint magis temperata ut àq. ſambuc. acetum roſar. &c.

XXV. *Diæta* denique coronidis loco adjungenda eſt, in qua ea omnia vitanda quæ ſuperius huic affectui cauſam afferre perhibuimus, inſuper exulent cibi craſſioris ſucci & difficilioris diſſolutionis, carnes ſalitæ, fumo induratæ, piſces: item ob facilem aceſcentiam, lacticinia, fructus horarii &c. juſcula vero cum rad. fœnic. aſparagi &c. frequenter exhibeantur, nec chocolada in juſculo indies data minoris eſt effectus, cæterique cibi laudabilis ſucci. Potus vero ſit vinum vel ſolum vel aqua dilutum, ſi tamen caliditate noceat, detur decoct. ſalſaparill. cum cort. citri & par: cinamomi ex aq. vel ſero lactis: vel etiam potus theæ: alvus ſervetur aperta & fortiores animi motus quoad poſſe, vitentur. Faxit interim Deus Ter. Opt. Max. ut hæc, & in ſequens praxis, ſemper cedant in nominis ſui gloriam, mei ſalutem, ægrotorumque

SOLAMEN.

CO-

COROLLARIA.

I.

Experimentum deſumptum à pulmonibus fœtus an idem lucem aſpexerit, nec ne, incertum eſt.

II. *Inteſtini cœci (aliis appendiculæ vermiformis) uſum non eſſe ut ſolum recipiat mæconium, in ſœtu ſed longe alium magiſque utilem petenti oſtendemus.*

III. *Omnia amara de ſe fundere ſalem fixum abſurdum eſt.*

IV. *Salia alcalia, fixa & volatilia in ſuo genere non differunt.*

V. *Antim. diaphor. & bezoard. minerale nunquam mortificant acidum.*

VI. *Mercurius vitæ, & bezoard. minerale, chymicæ oſtentationis vana ſunt præparata, eadem enim perficiunt vitrum ♁, & ♁ diaphor.*

VII. *Fermentationem & efferveſcentiam ſanguini & circulantibus humoribus naturaliter conſtitutis ineſſe, ridiculum eſt.*

VIII. *Variolas & morbillos non oriri à fermento quodam ex utero adducto ſed à particulis ſanguinis lacteis & chyloſis vitioſis, ab æthere certo præcipitatis, ſtatuimus.*

F I N I S.

Ornatiſſimo ac Ingenioſiſſimo

D. JOHANNI COLLART

Cum publico omnium applauſu Medicinæ Doctor crearetur.

Laurea ſub Phœbo radiato pulchra niteſcit,
  Sub Phœbo viridis tempora laurus habet.
Hæc, ut præcellit ſpecies velut arboris omnes,
  Sic cunctis COLLART præmia ſumma tulit.
Et novus exſurgit latio medicamine *Apollo*
  Præditus ingenii dotibus ipſe nitet.
Aulam qui Batavam decoravit voce Latinâ,
  Et quem non latuit Philoſophantis opus.

Palladis

Lugdunum Batavorum Medicorum, & Philoſophorum aula Laurea pro pallade privant.

Muſæ Heliconis Templum Apollinis, (in laudem Gelri) auratum celebrant.

Palladis exiguo peperit ſibi dona labore,
Viſens ter trinas ex *Helicone* Deas.
Galeno celebri jactavit Phrygia quondam,
Jactat jam Gelro Gelria noſtra ſuo.
Debilitate graves, morbus, quos vicit acerbus,
Mente reponantur (qui velut ante) ſtudet.
Qui cauſâ ingenii *Parnaßi* culmina quæris,
Nobilis ingenio ſat Gravitatis habes.
Divinum ſatis eſt animo cœpiſſe favorem,
Et ſtudiis vigilans incubuiſſe juvat.
Ut radiatus adeſt ſubito poſt nubula *Phœbus*,
Depreſſâ (ut rediit) nube ſerena dies:
Gaudia ſic veniunt (finito mille labore)
Sudorem requies poſt venit apta gravem.
Armitenens *Mars* bella gerit, fert pectore vulnus,
Hæc ſunt militiæ præmia miſſa ſuæ.
Tu virtute gravis latiâ contendis inermis,
Cumque loqui poteris de Ratione Viris.
Sicelides redeant *Muſarum* cæcula rurſus,
Et Gelro Decori jam decus omne ferant.
Pieridumque Chorus ſolvant tibi guttura laudi,
Muſica vox penetret ſidera ad alta *Poli*.
Bommeliæque Decus miſeris ſuccurrere diſcas
Tu miſeris adſis, ſis tibi? pelle moras.
Si *Deus* adfuerit, vireſque infuderit herbis?
Quid magis exoptas, dum *Panacea* juvat.
In terram radios fulgentes mittit *Apollo*;
Luna petit Solem, ſed tibi lumen eris.
Iaſonem pudeat raptum decus arte *Medea*,
Ars peperit; pariat jam tibi juſta Decus.
Deſinit hic Calamus Decus (ut) juvenile legendo
Tædia nulla fluant, hæc mihi finis erunt.
Qui mihi ſuſcipiet claudenti munera rivos,
Et juvenile Caput? qui decoravit ovans.
Ite *Heliconiades*? *Muſarum* turba canentes,
Munus, & exiguum? ſuſcipe turba meum.

Amicitiæ ergô
B. D. MAN.